

M A H




1612

~~G. M. #~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

W-39.

SIGNAT. 1515 CCCXIII.





37  
14

A. A.  
DISPUTATIO VI.  
IN  
**EPISTOLAM**  
**AD HEBRÆOS.**

Complectens ἀνάλυσιν Capitis V.

*In inclytâ Academiâ UVitebergensi,*

Privati exercitij gratia proposita

PRÆSIDE  
**F R I D E R I C O B A L D U I N O D.**  
Professore publico, Ecclesiæ P. & S.

RESPONDENTE  
**M. JOANNE LIPPIO A R-**  
gentinensi Alsato.

*Ad diem 5. Junij.*

• 055 •

UVITEBERGÆ,  
Typis Cratonianis, per Joan. Gorman.  
ANNO M. DC. VIII.

VIRIS  
PIETATE, PRUDEN-  
tia, longoq[ue] rerum usu spe-  
ctatissimis, integerrimis, Politiæq[ue]; Argen-  
tinensis florentissimæ Civibus  
præcipuis,

Dn. MARCELLO, Ecclesiæ  
ad juniores Petrum Quæstori  
fidelissimo,


Dn. ANTONIO Guvelier, Nego-  
tiatori Primario.

*Propatribus & Fautoribus suis  
omni venerationis genere profe-  
quendis*  
dicat.

M. Joan. Lippius.



## CAPUT QVINTUM.



### Munere Propheti-

co C H R I S T I descendit jam  
Apostolus ad officium ejus Sacerdotale: quod  
deinceps pluribus capitibus prolixè describit.  
In hoc capite quinto collationem instituit  
C H R I S T I, summi Pontificis nostri, cum  
ordinario Pontifice Levitico, Aarone, in  
hunc finem, ut intelligent Hebræi, C H R I S T U M illi Sacerdoti,  
cui hactenus adsueti fuerant, multis nominibus anteferendum esse.  
Duæ sunt igitur capitis partes :

In priore ipsa continetur collatio Levitici Sacerdotis & C H R I S T I, usque ad *vers. ii.*

In posteriore hinc deducta gravissima invectiva, quæ repræ-  
hendit Hebræorum in re tām magni momenti supinam negligen-  
tiā.

### PRIOR PARS.

Nominaverat Apostolus C H R I S T U M in præcedente capite  
*δέχεται πίνακα*, qui propterea cœlos penetrârit, ut esset etiamnum  
thronus gratiæ apud patrem, unde facilè colligere poterant Hebræi,  
Aaronicum Sacerdotium jam defecisse, siquidem plures uno summo  
Pontifice juxta legem esse non poterant. Sed quia in doctrina pie-  
tatis jam repuerascere incipiebant, ut infra eis objicit, idcirco insti-  
tutum suum nunc persequitur, & C H R I S T U M supremum nostrū  
Sacerdotem esse ostendit, institutâ collatione cum Sacerdote Levi-  
tico. Confert autem utrumque Sacerdotem partim *Vocationis*,  
partim *ratione Functionis*. De *Vocatione Sacerdotis* Levitici agit  
*vers. 4.* ubi dicit, eam esse planè divinam, neminem enim sibi ipsi su-  
mere hunc honorem, sed expectare legitimam vocationem D E I,

quemadmodum Aaron, cuius vocatio describitur, *Exod.* 28. Et hanc collationis particulam statim accommodat ad **C H R I S T U M** *vers. 5.* cuius vocationem etiam divinam esse probat gemino Veteris scripturæ loco, quorum alter ex *Psal.* 2,7. de promtus, ostendit filium à Patre ab æterno genitum, ab eodem quoq; ab æterno constitutum atq; ordinatum esse super montem sanctum Sion; nemo enim officio tam arduo præfici poterat, quam qui à Patre erat ab æterno genitus, quam ob causam testimonium de æterna Filij generatione hoc loco allegatur: alter locus est ex *Psalm.* 110. ubi ex professio de Sacerdotio **C H R I S T I** agitur, illudq; ad decretum & constitutionem patris æterni refertur. *De Functione Sacerdotis* Levitici agit Apostolus sub initium capituli, ad eamq; hæc duo refert. 1. *Quod est Mediator inter D E U M & homines: constitutus enim est pro hominibus in ijs, quæ sunt ad D E U M.* *vers. 1.* id est, reconciliat homines cum Deo, sacrificijs nimirum expiatorijs, quæ vocat dona & sacrificia pro peccatis, quia erant typi ac umbræ veri & unici illius sacrificij, in cruce Deo oblati sanguine **C H R I S T I**, qua de re deinceps suo loco fusus agetur. Et in hujus rei testificationem addit *Pontificem illum ex hominibus adsumi*, id est, non angelicæ, sed humanæ esse naturæ & conditionis, ut cum ijs, quorum est Pontifex, aliquid commune habeat. Hanc functionis particulam applicat ad **C H R I S T U M** *vers. 7.* ubi dicit: **C H R I S T U M** in diebus carnis suæ (qua phrasí inter alia notat, **C H R I S T U M** quoq; ex hominibus fuisse adsumptum) Mediatorem fuisse inter **D E U M & homines**, offerendo sua sacrificia, qualia erant: preces & supplicationes ad cœlestem Patrem susæ, valido cum clamore multisq; lacrymis, quarum exempla extant *Ioh.* 17. & *Luc.* 22. item mors ejus sacrosancta, cuius ibidem meminit, quam preciosissimi sacrificij loco pater æternus habuit. 2. Altera functionis Sacerdotalis particula est, condolere ignorantibus & errantibus *vers. 2.* idem præstissee **C H R I S T U M** *vers. 7.* indicat, mentrone intercessionis cum lacrymis & valido clamore pro nobis factæ, & quidem cum exceptato effectu: *ex auditus enim est* (ait Apostolus) *pro reverentia*, quia nimirum suam erga æternum Patrem reverentiam supplicatione sua contestabatur: Unde, quanquam Filius esset Patris ab æterno, dicit tamen & expertus est (secundum humanam naturam, secundum quam pati poterat) ex eis, quæ passus est, quid sit obedire Patri, cui usque ad obsequium mortis, vi primæ destinationis ab æter-

no



no factæ erat obstrictus. Et in his duobus particulis Sacerdotis utriusque officium simile facit. Intercedit autem triplex etiam dissimilitudo, unde C H R I S T I præminentia perspicitur 1. Ratione ordinis. Leviticus enim Pontifex erat ex ordine Aaron vers. 4. C H R I S T U S autem ex ordine Melchisedec. vers. 10. quod deinceps cap. 7. fusiùs declarabit. 2. Ratione qualitatis, Leviticus ipsemet circumdatus erat infirmitate vers. 2. C H R I S T U S a. obedientiam didicit vers. 8. quin & re ipsa præsttit, unde postea ὁσιος, ἀνακονος, αὐτιανός, μεχωρημένος τῶν ἀμαζώλων appellatur cap. 7. 3. Ratione objecti: Leviticus non tantum pro populo, sed etiam pro seipso offerebat victimam vers. 3. C H R I S T U S autem non pro seipso, sed pro omnibus obtemperantibus fidei consummatus & perfectus est, victimam nimis offerens tñndiquaque perfectam omnibusque numeris absolutam vers. 9. His enim sit causa salutis æternæ, cæteris in C H R I S T U M incredulitate sua impingentibus, & sua culpa pereuntibus.

T H E S S  
DE SACERDOTIO ET SACRIFICIIS  
LEVITICIS.

I.

Supra dictum fuit, Epistolam ad Hebræos esse brevem quendam commentarium Levitici Mosaici: cuius adfirmati veritas deinceps comprobabitur, ubi sat multa de Sacrificijs Leviticis auditur. sumus: jam occasione textus nostri, pauca quædam de origine & institutione, requisitis, fine & effectu Sacerdotij perstringemus, reliqua in suum locum reservaturi.

II.

Quæ omnia ut uno quasi intuitu conspiciantur, definitionem Sacerdotij præmittimus, caussas omnes complectentem, unde quid in hypothesi de sacrificijs Leviticis & gentilibus sentiendum sit, facileius perspicietur.

III.

Sacerdotium igitur est officium publicum divinitus inter homines institutum, quo D E U S oblatione victimarum & donariorum coli voluit, in præfigurationem summi & verè maximi illius Sacerdotij summi Pontificis J E S U C H R I S T I, in diebus carnis suæ supplicando & offerendo administrati.

I.  
*Causa effici-  
ens Sacerdo-  
tij & Sacri-  
ficiorum.*

IV.

Originem igitur & causam efficientem Sacerdotij referimus ad D E U M, qui primus omnium homines sacrificare jussit, & sine cuius ordinatione atque institutione neque Sacerdotium neque sacrificia ipsi placere possunt: id quod rationibus invictis demonstrare possumus.

V.

Primam suppeditat Apostolus noster *vers. 4.* nemo sibi sumit honorem, sed qui vocatur à D E O, sicut & Aaron, unde sic concludo: Honor divinus absque vocatione & institutione D E I nullus est: hoc n. in recessu habet thesis Apostoli nostri. Sacerdotium est honor divinus, ad cultum enim divinum pertinet.

Ergo absq; vocatione, ordinatione & institutione D E I non est.

VI.

Secundam petimus ab exemplo primorum illorum hominum, qui D E O sua obtulere sacrificia, Caini & Abelis, *Gen. 4.* & inde sic argumentamur:

Cain & Abel obtulere vel ex lumine naturæ, vel ex revelatione D E I.

Non ex lumine naturæ Ergo, &c.

VII.

Adsumptio probatur inde: quia de Sacrificio Abelis testatur Apostolus noster *cap. 11, 4.* quod fide obtulerit, sed fides non oritur ex lumine naturæ, sed ex revelatione verbi divini, secundum illud *Rom. 10.* fides ex auditu verbi D E I.

VIII.

Tertiam rationem ostendit Moses *Levit. 1.* ubi ait: Dominum vocasse Mosen, eiq; ritum sacrificandi monstrasse, hinc ita infero:

Quicquid nititur expressa D E I instructione ac mandato, id non est ex lumine naturæ, sed ex ordinatione ac instinctu divino.

Sacerdotium seu ritus sacrificandi nititur expressa D E I instructione ac mandato. *Levit. 1.* Ergo, &c.

IX.

Accedit quarto loco regula ex verbo D E I infallibili perpetuoq; vera, quod Deus frustra colatur mandatis hominū *Matth. 15.* quodq; in præceptis D E I ambulandū sit, ex qua tale exurgit argumentum:

Omnis

Omnis cultus Deo probatus nititur verbo Dei.

Sacerdotium est pars cultus Deo probati.

E. nititur verbo Dei, & per consequens non est instinctus  
naturalis.

X.

Quinta ratio petitur ex interdicto Dei, de non addendo quo-  
piam in cultibus & dogmatibus ad patefactum ejus verbum *Deut. 4*.

& 12. unde sic argumentor:

Res ad cultum & dogmata divina pertinentes non nisi ex  
verbo revelato suam habent originem.

Sacerdotium ad cultum divinum pertinet.

E. non nisi ex revelato Dei verbo suam habet originem.

X I.

Sextam suppediat analogia cultus cum natura Dei, hoc pacto:

Cultus, in quo recta ratio non potest inventire analogiam  
inter ipsum cultum & naturam Dei, non habet origi-  
nem ex recta ratione, aut instinctu naturali hominum,  
sed ex patefacto Dei verbo.

Talis est cultus Sacrificiorum: nullam enim rationem inve-  
nire potest lumen naturae, cur Deus delectetur macta-  
tione & combustione animalium, suffitibus, incensis,  
similibusq; pluribus.

Ergo Sacrificia cum Sacerdotio originem habent a Deo, in  
cujus verbo analogia ista nobis patefacta est; nimirum  
in antitypo sanctissimae victimæ Agni Dei, in ara cru-  
cis pro nobis mactati.

X II.

Septimam deniq; rationem monstrat materia Sacrificiorum,  
nimirum animalia munda, unde sic concludimus.

Quidquid rationem ostendere non potest, cur alia anima-  
lia sint munda, alia immunda: cur munda Sacrificijs  
sint destinata, immunda non item; ab eo sacrificia su-  
am non possunt habere originem.

Lumen naturae illud ostendere non potest: ecquis enim do-  
cere posset, cur Deus non tam equi, cervi, lepores, an-  
seres, gallinæ & alia homini utilia animalia offerri que-  
ant, quam oves & boves, turtures aut columbae, nisi  
Dei verbum rationem monstraverit?

Ergo

Ergo non ex lumine naturæ Sacrificia suam habent originem,  
sed ex revelato Dei verbo.

XIII.

Quapropter solum Deum autorem, causam efficientem ac originem agnoscit Sacerdotium, qui primos homines divino plane instinctu sacrificare docuit, sacrificijsque ipsorum delectatus fuit Gen. 4. & 9. tandemq; progressu temporis, cum Resp. Hebræorum in certam formam, & cultus divinus ad certum locum esset redactus, sacerdotium ipsum certis legibus & statutis circumvallavit, quibus describendis totus Leviticus occupatus est.

XIV.

Id vero observandum est. i. contra Manichæos, qui ex innata quadam profanitate, sacrificia non ordinationem divinam, sed idolatriam & superstitionem nominarunt, referente August. cont. Faustum Manich. lib. c. 5.

In primis autem id hodieq; observare prodest, contra Pontificios quosdam scriptores, qui non omne sacrificium divinitus institutum esse docent, ut scribit Greg. de Valent. tom. 4. disp. 6. qu. 11. quin & quod semper ad cultum divinum sacrificia fuerint adhibita, id prodire ex lumine & instinctu naturæ, & esse primum quoddam principium à Deo nobis ingenitum, ut Bellarm. refert, lib. 1. de Missa cap. 20.

XV.

Quibus opponimus argumenta illa omnia, quæ jam recensuimus; nam quod gentiles sacrificarunt, id non habuerunt ex lumine naturæ, sed ex ridicula quadam ~~ratio~~, quia sacrificandi ritum à majoribus suis acceperunt, hi à primis gentium fundatoribus, filijs Noachi, quos (ut multis alijs in rebus) hoc quoq; cultus genere, in idolomania & impietate sua, ex corruptione naturæ, æmulati sunt: id quod inter alia constat exemplo Agamemnonis sacrificantis filiam Iphigeniam, quia simile quid ab Abrahamo factum audiverat.

XVI.

Etsi enim ex instinctu rectæ rationis scire poterant, Deum esse pura mente colendum, eidem pro præstitis beneficiis gratias agendas, pro impetrandis supplicandum; hoc tamen scire non potuerunt, Deum delectari mactatione & combustione brutorum: sed quia tale quid à sanctis fieri viderant, ipsi quoq; sine ratione, ex merito æmulationis studio fuerunt imitati: ista vero emulatio non est rationis rectæ, sed corruptæ.

Pro-

XVIII.

Proinde licet sacrificiorum ritum non ad lumen naturæ, sed ad D E U M autorem referamus: non tamen sequitur, Judæorum sacrificia à gentilibus nihil differre, quod voluit olim Julianus referente Cyrillo lib. 3. adv. Iul. Differunt enim caussa efficiente: nam quod Judæi habuerunt ex præcepto divino, hoc ad Ethnicos per stultam emulationem devolutum est: & quemadmodum Leviticorum Sacrorum autorem agnoscimus D E U M, ita Ethnicorum sacrificiorum superstitionis Judæorū ~~congruere~~. Et hæc de caussa efficiente principali Sacerdotij Levitici.

XIX.

*Caussam instrumentalem exprimit præmissa definitio*, dum dicit: Sacerdotium esse officium inter homines institutum: idque ex adsertione Apostoli nostri, qui adfirmat, omnem Pontificem ex hominibus adsumi, quam ob caussam filium D E I ~~de~~χριστον nostrum, de cœlis descendere, hominemque fieri oportuit.

II.

XX.

Hujusmodi homines erant ante instituta ordinaria sacra in tabernaculo, Patriarchæ, quorum quilibet in & pro sua familia sacrificavit, quod exemplis Noachi, Abrahami, Jacobi, & cæterorum constat.

XXI.

Sed post exitum Israelitarum ex Ægypto, Dominus officium Sacerdotale certæ adsignavit tribui, nimirum Leviticæ. Levitas enim sibi D E U I adscivit pro primogenitis Hebræorum, ut Num. 3. scriptum est; ideoq; omnibus prædiis & hereditate propria orbavit, decimarum autem, quæ D E O offerebantur, participes reddidit, pro ministerio, quo serviebant ipsi in tabernaculo fœderis, quæ de re legatur. Num 18.

XXII.

Quanquam autem inter Levitas plures erant sacrarum personarum ordines, præsertim tempore Davidis; puta, Cantores, Ianitores, Nathinæi, Nazaræi, Prophetæ, Scribæ, &c. attamen duo ex illis eminebant, quibus etiam solis Sacerdotalis dignitas commissa erat, nimirum Sacerdotes & Pontifices. Pontifex semper unus tantum erat; Sacerdotes plures, quorum 38000 numerantur 1. Paralip. 23, 3. hinc usus obtinuit, ut Sacerdotium diceretur Leviticum.

XXIII.

Inter hos primatum obtinebat Pontifex, qui passim inscriptura Sacerdos primus, Sacerdos magnus, Sacerdotum princeps, ab Apo-

B

stolo

stolo quoq; nostro ἔχειν appellatur, cæteri ad Sacerdotium destinati simpliciter Sacerdotes, aut etiam Sacerdotes secundi & Sacerdotes secundi ordinis appellabantur, ut videre licet ex 2. Reg. 23, 4. & cap. 25, 18. ex lib. Iudith. cap. 4, n. Nehem. 3, 1.

#### XXIV.

Pontifices erant ex familia & posteritate Aaronis, qui primus omnium à Deo ipso fuit constitutus Sacerdos magnus, quo respicit Apostolus noster vers. 4. cuius etiam vestitus, consecratio, conditiones & functiones prolixè describuntur ex præcepto Domini, Exod. 28. Sacerdotes cæteri erant ex posteritate filiorum Aaronis, quos similiter Dominus primùm omnia instituit, vestibus, ritibus, conditionibus & functionibus instruxit, l. d.

#### XXV.

Summus Pontifex auctor suum habuit in N. T. JESUM Christum, de cuius Sacerdotio ex professo agit Apostolus in hac Epistola: Sacerdotes verò cæteri non item, nisi fortasse mystico sensu, qui sacrificia laudis, victima labiorum, & rationabiles hostias offerunt, corpora nimirum sua in obsequium Dei, ut Apostolus Paulus loquitur, Rom. 12, 5. quo sensu omnes Christiani in Scriptura Sacerdotes appellantur, 1. Pet. 1, 10. Apoc. 1, 6. &c.

#### XXVI.

Certum autem Sacerdotum ordinem inter Christianos hodiè non agnoscimus, præsertim quales ex sacrificiis suis Sacerdotes faciunt Pontificij. Sacerdotium enim Leviticum, quod externa victimarum oblatione constabat, hodiè abrogatum est: unde & nupsiam in Scriptura Novi Testamenti ministri Ecclesiæ Sacerdotes appellantur, cum tamen variis nominibus passim indigentur.

#### XXVI I.

Porro quod *causam materialem* Sacerdotij attinet, attingit eam definitio nostra mentione victimarum atque donariorum, quæ Apostolus noster pulcrè exprimit, appellatione δῶρος ή δυοῖς: *Donorum atq; Sacrificiorum* vers. 1.

#### XXIX.

*Dona* erant, quæ offerebantur Deo ex terræ nascentibus, ijsq; vel aridis, vel liquidis, arida sunt vel trita, ut frumentum, vel fricant simila, vel incensa, ut thus: eaq; aut ex lege, aut ex voto, aut ex pura voluntate dabantur, Num. 29, 39. Ex lege, ut primitæ, & decimæ,

III.  
Causam mate-  
rialis.

inæ, de quibus legatur *Exod. 22.* Ex voto, ut res quælibet Deo destinata, de qua legatur *Levit. 7.* & *23.* *Num. 30.* Ex pura voluntate, ut pecunia aut res alia sponte Deo oblata, de qua legatur *Iudic. 12.* & *Estra 1.* De omnibus donarijs simul agit Dominus *Deut. 12. 6.*

### XXIX.

*Sacrificia* erant hostiæ atq; victimæ propriè sic dictæ; quibus sibi volebat litari Dominus: & constabant non humanis carnibus, hominis enim, utpote ad imaginem suam conditi immolationem abominabatur Dominus, quod patet ex pœna, quam dictavit ijs, qui liberos suos offerebant Molocho *Levit. 20. 2.* sed carnibus brutorum animantium, quadrupedium & volatilium, nec tamen omnium, sed talium, quæ ipse met pro mundis reputavit. *Levit. 13.*

### XXX.

*Forma Sacerdotij* consistit in modo offerendi, qui pro varietate vel *Caussa* for victimarum vel donariorum, variat; unde & varia sacrificiorum malis oriuntur genera.

IV.

### XXXI.

Aut enim hostia cremabatur tota, & dicebatur *holocaustum*: aut adeps solum consumebatur igni, pectusculum & armus erat Sacerdotis; reliquæ carnes edebantur à privatis, quemadmodum siebat in hostiis pacificis: aut offerebatur sertum ex simila seu farina mundissima sine fermento, oleo & thure confectum, in clibano, sartagine aut craticula coctum: quod siebat in *Sacrificio Libatorio*: & quæ sunt similes offerendi modi prolixè descripti in *Levitico cap. 1. 2. 3. 4. 7. 8. 6. Num. 15. & 6.*

### XXXII.

Constat autem in genere ex Levitico Mosaico; Rem sacram Deo esse factam præcipue, vel per sanguinem vel per ignem, vel per simplicem oblationem: Per sanguinem, cum victimæ cædebantur, & tunc propriè dicebatur *Hostia*: per ignem, cum victimarum adeps aut exta cremabantur, aut carnes incendebantur, aut vescendi caussa in ella elixabantur. & tunc propriè vocabatur *Duaria*; item cum quædam ex donarijs vel adurebantur, & hæc vocabantur *incensa*, vel in clibano aut sartagine aut in craticula coquebantur, & dicebantur *libamina*: per simplicem deniq; oblationem, ut primiæ & decimæ, & quælibet pecunia sive ex voto sive ex simplici voluntate Deo consecrata.

B 2

Finis

V.

Causa fin  
alis.

XXXIII.

Finalis causa hujusmodi oblationum triplex annotatur à Philone in lib. de sacrificiis, aut enim ideo siebant, ut Deus honoraretur; aut ut bona ab ipso impetrarentur; aut ut peccata expiarentur delerenturq; cuius postremi finis duntaxat meminit Apostolus noster in praesente textu ver. 1. 3. is enim hominum respectu est potissimum.

XXXIV.

Ea vero efficacia tribuebatur sacrificiis Leviticis, non ex dignitate personæ Pontificis, non ex opere operato, ut loquuntur; enim nomine sacrificia rejiciuntur a Domino Ierem. 7, 23. non precepit Patribus vestris de verbo holocaustum & victimarum, quatenus nimis opinio cultus & pietatis ipso operi adfingebatur, Deoque opinione justitiae & operis operati illudebatur, ut Augustinus explicat quæst. 103. ex utroque Testamento.

XXXV.

Sed habebant vim peccata expiandi Deumque honorandi ac placandi, salutem ac vitam ab ipso impetrandi, ex merito unius illius victimæ placatoriaæ CHRISTI JESU, quam typicè repræsentabant, & eminens quasi respiciebant, quam ob causam agnus ille DEI immaculatus ab origine mundi occisus esse dicitur. Apoc. 13.

XXXVI.

Ex hoc triplici fine sacrificiorum Leviticorum, triplicia quoque sacrificia, præ ceteris insignia, à veteribus consignata fuerunt. Primum erat *Holocaustum*, Hebræis *Olah*, ubi hostia oblata, igne cœlitus delapo consumebatur: & offerebatur Deum honorandi & propitiandi gratia, de quo videatur, Levit. 1. & 6. Secundum erat *Hostia pacifikorum zeba Schelomim*: idque fuit geminum: 1. *Voti*, Neder dictum, cum Deum pro salute & pace rogarunt. 2. *Laudum*, Thoda appellatum, cum impetrato voto Deo gratias per solverunt: de quo videatur, Levit. 3. Terrium erat *Sacrificium pro peccatis*, Hebræis *Ajam*, & hoc erat geminum, aut enim offerebatur pro voluntarijs peccatis, aut pro involuntariis, sive certarum personarum, sive totius populi, de quo Levit. 4. & 7.

XXXVII.

Verum de his omnibus fusilius agendi locus hic non est: de abrogatione horum sacrificiorum alibi in hac Epistola tractabitur. Nec coronidis loco & memoriae gratia ea, quæ de Sacerdotio diximus, hac enayexpiæ comprehendimus:

Sacer-

Personas. Pontifex maximus seu Sacerdos primus.  
quæ sunt Sacerdotes reliqui, dicti secundi.

Sacerdo-  
tium Le-  
viticum  
comple-  
tiur  
vel

Res, quæ  
sunt sa-  
crificia:  
Et hac  
diffe-  
runt

i. Materia,  
nam offerun-  
tur

2. Fine, offe-  
reabantur e-  
nim ob

3. Efficiente,  
nam offere-  
bantur à vel  
pro

4. Tempore oblationis,

i. animalia  
de genere.

2. Terræ na-  
scientia: eaq,  
vel sunt

1. Reveran-  
tiam nominis

Divini ut

2. Expiationē  
peccatorū ut

3. Preces ad  
Deum fun-  
dendas, pro  
re vel:

Pontifice.

Sacerdotibus.

Principes

Toto populo.

Privata persona.

Quotidie, ut Mirra juge sacrificium.

alia enim offerebantur Interpolatis vicibus, ut cetera.

Boum

i. caprarium  
ovium  
avium

2. arida  
liquida

Hostia pro  
peccato  
Accipita &  
dicitur Thoda  
Accipienda  
& vocatur  
Neder

voluntario.  
involuntario  
Hostia pacis  
corum.

Vitulus.  
Vaccas.  
Bos.  
hircus  
bœdus  
agnus  
aries  
columba  
turcitur  
panis  
coctus

in  
simila,  
granum.  
fructus,  
thus.  
sal.

Vinum  
Oleum.

Holocaustum

THE

clibano.  
sartagi-  
ne,  
crati-  
cula.

THESES.  
DE SACERDOTIO  
CHRISTI.

I.

**Q**uanquam multa de Sacerdotio CHRISTI in sequentibus disputantur capitibus: nos tamen hoc in capite præcipuas illius Sacerdotii partes considerabimus, quæstiones cæteras alio differentes.

II.

Tres alioquin constituuntur Sacerdotij Levitici partes: 1. docere populum, nam custodia scientiæ ordini Sacerdotali demandata est Malach. 2. 2. Orare & intercedere pro populo. 3. Offerre sacrificia Deum honorantia & placantia.

III.

Primum illud docendi officium Pontifex cum inferioribus Sacerdotibus commune habebat: Pontifici autem proprium erat, semel in anno ingredi in sanctum sanctorum, sacrificare ibi & pro populo orare: unde factum est, quod, cum Apostolus noster CHRISTUS TUM cum Pontifice conferret, duorum posteriorum officiorum mentionem tantum ficeret, quorum unum, cum de CHRISTO sermo est, Intercessio, alterum Satisfactione vocatur. Intercessionis ratione Mediator noster; Satisfactionis, Redemptor appellatur.

IV.

**De Intercessione Christi.** Satisfactione ratione dignitatis, (ut ita loquar) intercessione prior est: hæc enim illam fundamenti loco præsupponit, utpote cuius intuitu Deo grata est: intercessio tamen antecedit ratione ordinis, quia antequam Satisfactionis opus à CHRISTO absolveretur, intercessio jam facta erat: ideo de intercessione primo loco agit Apostolus noster, tria ordine notans. 1. quando ea facta sit. 2. quomodo seu quo affectu. 3. quo effectu.

V.

Tempus intercessione quod attinet, dicit Apostolus, factum idesse in diebus carnis suæ, digito quasi notans statum Exinanitionis

nis, qui alias in scriptura vocula carnis indigetatur, 2. Corinth. 5, 16.  
caro enim humilitatis & infirmitatis humanæ nota est, secundum  
illud, omnis caro fœnum, Esa. 40, 6. Sir. 14, 18. Et

V I.

Id quod tamen eò rapi non debet, quasi CHRISTUS ante  
dies carnis suæ non etiam pro nobis oravet, vel post adeptam glo-  
riam intercedere desierit: longè enim aliud docent scripturarum  
divinarum monumenta: longè etiam aliud requirunt fidei & salu-  
tis nostræ firmamenta.

V II.

Nam jam antè, quam jacerentur fundamenta mundi, cum  
in æterno SS. Trinitatis senatu de lapsu hominum constaret Filius  
DEI humanis generis misertus supplex factus æterno Patri, semet-  
ipsum victimam pro mundo obrulit, tantumque impetravit, ut de-  
cretum de redimendo genere humano fieret, & Evangelium de se-  
mine mulieris contrituro caput serpentis, ederetur: quam ob causam  
dicitur Pater æternus elegisse nos in CHRISTO ante mun-  
di constitutionem, Ephes. 1, 4.

V IX.

Sic etiam hunc orat pro hominibus in statu gloriae, quia de re  
Apostolus Paulus loquitur, Rom. 8, 34. CHRISTUS ad dexteram  
DEI interpellat pro nobis, non quidem humili modo prostratus  
ante faciem Patris, quemadmodum in diebus carnis, sed vi & ap-  
plicatione meriti sui in tempore præstigi & voce Evangelij in toto  
mundo disseminati, cuius intuitu pater in gratiam acceptat omnes  
per fidem ad thronum gratiae accedentes.

I X.

Atq; sic intercessio illa, facta ab æterno, nihil sicut aliud quam  
spontanea oblatio ad opus Redemtionis: ea verò, quæ etiamnum  
durat, nihil est aliud, quam quotidiana applicatio meriti sui cre-  
dentibus facta, quo respectu dicitur hic caussa salutis factus obtenu-  
perantibus sibi: sine qua intermissione neque salus generi humano  
adquiri, neque CHRISTI satisfactio nostra potuisset fieri.

D

X.

De tali verò intercessione non loquitur Apostolus noster, sed quæ facta est in humilitatis statu, quæque populo Hebræo ex quotidiana cum CHRISTO conversatione probè nota erat, ut, quod exiit in montem precationis gratia, quod in precatione pernoctavit, *Luc. 6, 12.* quod solennem pro discipulis suis & omnibus Ecclesiæ civibus interposuit collectam, *Iohan. 17.* quod in monte oliveti secessum petijt orandi causâ, *Matth. 26.* quodque in cruce pro crucifigentibus se intercessit. *Luc. 23, 24.* &c.

XI.

De ea igitur secundo loco testatur Apostolus, quomodo & quo affectu facta fuerit, nimirum cum valido clamore, & cum lacrymis, ostendens ardentissimum CHRISTI desiderium, quo sicut salutem nostram. Siquidem ipse jam experiebatur, quanti ponderis sint peccata mundi, quo pondere & onere exonerari petijt genus humanum, hoc ipso non tantum seriam suam erga nos *et unius* H̄ar, sed & veram infirmitatum humanarum perpessionem declarans: quorum illud contra Calvinianorum hypocrisim; hoc contra Hilarij & aliorum, sensum doloris in CHRISTO non agnoscendum, errorem observandum est.

XII.

Effectum intercessionis hujus mox subjungit, quando exauditum cum esse scribit. Ergo vi intercessionis CHRISTI Pater æternus hodieque peccatorum nostrorum non recordatur, sed iherino illo gratiæ tegit, ad bona nos idoneos reddit, Spiritu sancto cor donostra accedit, preces etiam nostras exaudit, quemadmodum propterea ipse CHRISTUS in nomine suo patrem invocare jussit. *Ioh. 16.*

XIII.

A tanto beneficio nemo hominum est exclusus, modò à salvatori ejus usurpatione infidelitate sua seipsum non excludat. Nam Filius DEI, quemadmodum Sacerdos est omnium hominum (unde & Mediator omnium dicitur, *i. Tim. 2.*) ita & omnium salutem quæsivit ab æterno; pro omnibus, etiam pro hostibus, oravit in tempore, seu in diebus carnis suæ, & etiamnum intercessione sua ad dextram Patris efficit, ut Pater æternus impiis adhuc parcat, & magna

grā patientia vasa irae toleret, nec in furore irae suae in primo statim  
fervore peccati ingratum mundum puniat, sed tempus pœnitentiae  
satis diuturnum concedat.

#### XIV.

Alioquin non orat pro mundo *Ioh. 17*, id est, pro præfractis atq;  
contumacibus, quibus, ut Propheta Domini, æternum exitium de-  
nunciat: neque enim impenitentium salute delectatur; licet ipso-  
rum etiam salutem, ut sacerdos, condolere potis infirmitatibus no-  
stris, cum clamore valido & lacrymis quæsiverit.

#### XV.

Porrò de Satisfactione, altera Sacerdotij C H R I S T I parte, ob *De Satisfa-*  
 quam Redemptor noster appellatur, tria habet Apostolus noster: *De Satisfa-*  
*cione Christi*.  
1. cuius ea sit. 2. qualis, & 3. quibus ea proficit.

#### XVI.

Primum membrum quod attinet, dicit Apostolus *vers. 8* Chri-  
stum, licet filius fuerit Patris æterni, didicisse tamē obedire Patri per  
passionem: quibus verbis indicat, Satisfacere pro peccatis mundi  
totius esse C H R I S T I opus, non unius vel alterius naturæ: actiones  
enim Personæ sunt, operante utraque natura, quod suum est, cum  
communicatione alterius, ut veteres locuti sunt.

#### XVII.

Hæc ergo Christianorum fides est, J E S U M C H R I S T U M in  
forma D E I existentem, hoc est, filium hominis à λόγῳ adsumptum,  
& divina maiestate ornatum, obedisse Patri, usque ad mortem cru-  
cis *Phil. 2, 7*. seu, ut D. Petrus declarat, *1. Pet. 4, 1*. C H R I S T U M  
passum fuisse in carne, ita ut nec solus D E I filius in sua natura passus  
sit: is enim pati non potuit; neque merus homo: is enim pro nobis  
pati non potuit: sed C H R I S T U S, seu tota persona, in adsumpta  
carne, appropriante sibi Filio D E I passionem carnis, & accipiente  
carne dignitatem meritumque Filij D E I.

#### XIX.

Atque hinc infinita D E I ira æquivalens sortita pretium est,  
quando quidem Deus proprio suo Filio non pepercit, sed ipsum de-  
dit pro omnibus *Rom. 8*. unde non auro, nec argento, sed precioso  
sanguine immaculati agni liberati dicuntur *1. Pet. 1*. qui sanguis Filij

C

Dei

Dei vocatur i. Ioh. i. imò sanguis Dei proprius Act. 20. quia nimurum  
à λόγῳ in unitatem Personæ adsumtus.

XIX.

Alterum membrum: concernit modum satisfactionis, quem Aposto-  
lus noster exprimit vocabulo obedientiae vers. 8. unde Apostolus Pau-  
lus scribit Rom. 5. Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores consti-  
tuisi fuimus multi; ita per obedientiam unius justi constituuntur multis.

XX.

Meminit autem Scriptura geminæ obedientiae CHRISTI, qua-  
rum una activa, altera passiva est. *Activa* dicitur, qua CHRISTUS  
omnia ea implevit, quæ iuxta legem nos præstare non poteramus.  
*Passiva*, qua CHRISTUS pœnam, prævaricationi nostræ debitam  
in se derivavit, atque sic partim agendo, partim patiendo rigori ju-  
stitiae divinae nostro loco satisfecit.

XXI.

De activa sua obedientia loquitur ipse CHRISTUS Matth. 5.  
Non veni solvere legem, sed implere: quemadmodum autem non sui  
caussa venit in mundum, sed propter nostram salutem, ita & propter  
nos implevit legem: quin & ad præstandam eam semetipsum obtu-  
lit Ps. al. 40. Ecce venio in capite libri scriptum est de me: voluntatem tuam,  
Deus, facere delector.

XXII.

Ad stipulatur Apostolus Paulus Rom. 5: loco jam modo allega-  
to, ubi inobedientia Adami & obedientia CHRISTI opponuntur,  
& huic justitia nostra, isti æterna damnatio imputatur; quemadmo-  
dum autem illa Adami inobedientia non fuit passiva, ita nec Christi  
obedientia, cui tamen justitia nostra fertur accepta.

XXIII.

Quin & ipsa recta ratio suadet (ut cætera brevitatis studio lu-  
bens præteream) Nam non tantum ira Patris placanda, sed & legi  
satisfaciendum erat, ut haberemus coram DEO justitiam. Alias  
placati quidem fuissimus DEO, nondum tamen justi constituti;  
itaque CHRISTUS non tantum patiendo iram Patris sedare, sed  
& agendo & implendo legem nos justos & obedientes DEI Filios  
efficere debuit, unde & vocatur Ichova, Iustitia nostra Iere. 23. & 33

XXIV

#### XXIV.

*De passiva obedientia* agit ex professo Apostolus noster hoc loco, quando non modò obedientiæ, sed & mortis meminit, & clariùs adhuc ea de re loquitur D. Paulus *Phil. 2.* qui ait, **C H R I S T U M** Patri obedientem fuisse usque ad mortem crucis. Et Christus ipse docet, in nomine Christi patientis & resurgentis prædicari remissionem peccatorum *Luc. 24.*

#### XXV.

Et hujus obedientiæ respectu Christus appellatur agnus **D E I.** *Ioh. 1.1. Pet. 1.* Pascha pro nobis immolatum *i. Cor. 5.* Sacrificiumque in ara crucis Deo oblatum, in odorem bonæ fragrantiae *Eph. 5.* quo satisfecit Patri æterno pro omnibus omnium hominum peccatis, unde & propitiatio vocatur, pro totius mundi peccatis. *i. Job. 2.*

#### XXVI.

Utriusque verò obedientiæ respectu dicitur hoc loco Christus consummatus & perfectus *vers. 9.* quia nimicum absolutissimum & undiquaque perfectum *λόγος* præstítit, pro totius mundi peccatis, tam agendo quam patiendo, omniaque sustulit, quæcunque peccati nomen aut rationem habere unquam potuerunt.

#### XXVII.

Et hinc *terium membrum*, in satisfactione **C H R I S T I** sequitur. Quibus nimicum ea prospicit. Etsi enim pro omnibus omnino præstata sit: non tamen omnibus est salutaris, sed ijs duntaxat, qui in Christum credunt, qui **C H R I S T O** obtemperant, & **C H R I S T U M** cum omni suo merito debito more modoque sibi applicant suum. *que faciunt.*

#### XXIX.

Ideò dicit Apostolus noster: Christum in sua perfectione causam factū esse salutis ab omnibus obtemperantib. sibi: & Apostolus Paulus *Rom. 10.* Christum vocat perfectionem legis ad justificationem, **O M N I C R E D E N T I.**

#### XXIX.

Non quidem quasi Christus non omnibus salutem merito suo perfectissimo adquisiverit, non etiam quasi justificationis meritum non omnibus pepererit; sed quia non omnes meritum à Christo adquisitum per fidem & fidem obedientiam apprehendunt, sibiique applicant, atq; sic spōte sua salute, per Christum omnibus parta, excidunt.

C 2

Ipsum

XXX.

Ipsum enim Christi ~~autem~~ tam ex omni parte perfectum, obedientia tam absoluta & exacta est, ut si vel mille essent mundi, iis salvandis & justificandis sufficeret. sed quia Deus non modò vult omnes simpliciter salvos fieri, sed etiam ad veritatis agnitionem pervenire. *Tim. 2.* inde fit, quod tam multi partæ salutis & justitiae participes fieri non possunt, quia per infidelitatem à Christo deficiunt, & verbum illud, vitæ in odorem mortis sibi convertunt.

XXXI.

Ibi verò neque in Sacerdote, neque in Sacrificio culpa ulla est, sed in his tantum, qui sacrificio Christi tergum obvertunt: quemadmodum Pontifex semel in anno obtulit pro universo populo: non tamen omnes salutem adepti sunt, quia neque cor fidele, neque animum obedientem ad sacrificia afferebant.

XXXII.

Quod tamen non ita accipiendum est, quasi Fides aut obedientia nostra sit causa meritoria salutis per CHRISTUM partæ: sed quia Fides ~~est~~ illud est ex parte nostra, per quod Christi meritum apprehendimus, nostrumq; efficimus: obedientia verò præceptorū CHRISTI infallibilis character, ex quo fidem in corde latentem exerimus, & coram aliis declaramus, juxta illud Christi *Ioh. 15.* Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis: ubi observantia præceptorum CHRISTI, ut character & infallibilis nota amicitia cum Christo per fidem initæ, ponitur.

## PARS POSTERIOR.

QVÆ hactenus de utriusque Testamenti Pontifice proposuerat: eò spectabant, non ut Hebræos aliquid novi doceret, sed ut eorum, quæ scire debebant, memoriam eis refricaret. Jam verò invenitur in supinam ipsorum negligentiam, quod tantarum rerum tam citò fuerint obliti. *vers. ii.* Difficilia enim, ait de Sacerdotio CHRISTI restare explicanda, quæ tamen futura sint quam facilita, modò ipsi diligentius auscultent: Atque sic difficultatis istius culpam non tribuit materiae proponendæ, non suæ infirmitati aut imperi-

imperitiæ, sed auditorum stupori & negligentiæ, quarum aures imparatae sint his documentis capiendis. Ideò comparat Hebræos 1. iis, quibus prima adhuc rudimenta doctrinæ catecheticæ propria fuit, nondum ardua illa articulorum fidei mysteria *vers. 12.* 2. Pueris, quibus lacte vescendum sit, non solidi cibo. Catecheticam doctrinam & prima rudimenta fidei lacti comparat propter simplicitatem & perceptionis facilitatem: fusiorem verò mysteriorum divinorum tractationem solidiori cibo, propter difficultatem percipiendi, quia magis ardua sunt & non cuivis obvia. Ideò lac puerorum esse, ait *vers. 13.* in quibus nondum est sermo justitiae, id est, qui inter justum & injustum discernere haud dum possunt, solidum verò cibum adultiorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali *vers. 14.* Ubi tria tribuit iis, quos ad mysteria sacra existimat idoneos 1. *τέλος* consuetudinem seu habitum crebris nimirum meditationibus rerum sacrarum contractum. 2. *γνωμονίαν* exercitationem quotidianam, quæ habitum adjuvat, & 3. *διάκρισιν*, discretionem, qui quasi finis atque fructus est quotidiani exercitij, ut nimirum spiritus probare possint, num ex Deo sint, & preciosum à vili in rebus divinis separare, ut scriptura alibi loquitur 1. *Ioh. 3. Jer. 15, 15.*

## THESES DE DIFFICULTATE MYSTERIORUM DIVINORUM.

### I.

Mysteria divina non sunt unius generis: quædā n. in hoc seculo per vestigari non possunt, & ab Apostolo Paulo dicuntur *ἀνεξαρτέα, & ὅδοι Γεώς ἀνεξιχνίασαι Rom. 11, 33*, quæ absque detrimento salutis ignorantur, vix autem absque periculo investigantur: nam scrutator maiestatis opprimetur ab ea *Prov. 25*. quædā verò sub ratione salutis sciri necesse est, & vulgo dicuntur Dogmata seu mysteria fidei.

### II.

Mysteria fidei geminum habere possunt respectum, vel quatuor

C 3. nus

nus in seipsis considerantur absque intuitu scripturæ: vel quatenus considerantur in verbo patefacto.

III.

Considerata in seipsis ita comparata sunt, ut non cuivis patet, etiam non regenerato: animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Cor. 2. unde & vocantur mysteria temporibus æternis tacita & abscondita, perscripturas autem patefacta Rom. cap. 16, vers. 25.

IV.

Quod si qui ex ijs, qui Spiritu sancto non reguntur, de quibusdam fidei articulis præclare & ingeniosè differere aut concionari poterunt, quod Judæ proditoris & multorum hæreticorum pater exemplo, qui de ijs in primis articulis, in quibus adhuc sanam tenent sententiam, egregiè sæpè disputatione: sciendum est, fieri id saltem juxta notitiam literæ, quæ ne quidem ipsum Satanam latenter potest; intelligentia verò spirituali, quæ gratiola rerum cognitarum obsignatione constat, destituuntur.

V.

Considerata verò mysteria in patefacto verbo, ibi utique luce sua lucent, & cuivis, qui scripturam consulit, facilia sunt & obvia, quia præceptum Domini, unde eliciuntur, est lucidum, illuminans oculos. Psal. 19. Et mandatum lucerna est, & lex lux Prover. 6 quemadmodum & Apostolus Petrus sermonem Propheticum lucernæ comparat, lucenti in obscuro loco 2. Pet. 1.

V I.

Etsi verò Apostolus noster dicit vers. 11. in mysterio de Sacerdotio Christi esse λόγον δύστελλον, sermonem explicatu difficilem: tamen ea difficultas non est in ipso mysterio, verbo Dei patefacto; sed ex accidente hominum vitio, sicut Apostolus mox semetipsum explicat, quia nimirum segnes sunt ad audiendum, segnes ad medrandum, segnes etiam ad orandum pro illuminatione Spiritus S.

VII.

Scriptura quidem in se satis perspicuè mysteria divina propoñit, & sicubi videatur obscurior, alibi tamen satis superque semetipsam declarat, ita ut doméstico suo testimonio contenta sit, adventio glossarum fuso, qui ex scriptura de promptus non est, non indigeat: interim tamen varia intervenire possunt impedimenta, quæ scriptu-

Scripturam & cum ea mysteria fidei vel difficultia vel etiam prorsus  
reddere possunt.

### IX.

Aut enim deest ætatis defectus, à talibus enim mysteria fidei ex  
scripturarum fundamentis erui non possunt, sed ijs catechetica do-  
ctrina sufficit iastar parvorum Bibliorum, & hi sunt, de quibus Apo-  
stolus noster dicit, quod lacticinijs opus habeant, non solidō cibo:  
aut deest ardēs numinis divini invocatio, ad aperiendum scripturæ  
sensum nobis necessaria: aut accedunt anteceptæ opinioneſ falsæ,  
quæ scripturæ, in se lucidissimæ, caliginem offundunt, & sensum my-  
steriorum fidei obscurant; quemadmodum in Discipulis C H R I S T I  
videre licet, in concione Servatoris de passione & morte sua. *Luc. 18.*  
aut denique errorum & hæreseon latibula queruntur in scriptura,  
ubi mirum non est scripturam non tantum obscuram, sed etiam ob-  
scurissimam fieri: talia enim, si vel Diogenis facula in ipso meridi-  
accendatur, in scriptura non reperientur.

### IX.

In ejusmodi ergo casibus non ipsis mysterijs, neque scripturis,  
quibus veluti sacris quibusdam ancilibus continentur, sed homi-  
num vel imbecillitati vel negligentiae, aut præconceptis opinioni-  
bus ac erroribus, causa & culpa tribuenda est, sicubi mysteria fidei  
non nihil obscuriora videntur.

### X.

Ne igitur ex nostra parte intelligentiam spiritualem mysterio-  
rum fidei impediamus, Apostolus noster tria hic suppeditat admini-  
cula ad eam rem necessaria, 1. est *πίστις*, ut quis à pueris rebus sacris ad-  
suefiat, mysterijsque divinis delectetur, id quod sine adsidua scri-  
pturarum divinarum lectione atque meditatione fieri non potest,  
idque exemplo *Timothei 2 Tim. 3, 14. 2. γραπτοι*, ut & quotidiana acce-  
dat exercitatio, ne existimemus, nos, quæ ad salutem pertinent ad  
unguem jam didicisse, sed in fide indies crescere studeamus, juxta ex-  
emplum Pauli *Phil. 3, 3. διανεγοι*, ut discernamus verum à falso, impiam  
doctrinam à sacrâ, quod sine cognitione erronearum opinionum fi-  
eri nequit: Contraria enim juxta se posita magis elucescunt.

Quibus

X I.

Quibus omnibus in primis præmittenda est seria numinis di-  
vini invocatio, ut Leo de tribu Juda aperiat nobis librum illum-  
signatum, ut det illuminatos oculos mentis nostræ, ut investigemus  
impervestigabiles illas vias mysteriorum fidei: in quem finem di-  
rectæ sunt illæ supplicationes Regij Prophetæ Psal. 119. Da mihi in-  
tellectum & scrutabor legem tuam: Revela oculos meos, & consi-  
derabo mirabilia de lege tua: faciem tuam illuminata super servum  
tuum, & doce me justificationes tuas, &c.

X II.

Quicunque igitur his adminiculis utuntur, ijs dulcescent & in-  
clarecent mysteria fidei, indiesque majorem in ijs splendorem per-  
cipient: ubi, viceversa, cæcis omnia cæca sunt, Nam si Evangelium  
nostrum velatum est (inquit Apostlus Paulus) in his, **qui per-**  
**unt**, velatum est, in quibus Deus hujus seculi excœavit  
sensus incredulorum, ne in eis illucesceret Evange-  
lium gloriæ CHRISTI, *i. Cor. 4.*

Soli Deo gloria.





3

56.

Vd 17



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

FarbKarte #13



37  
14  
4. A.  
TATIO VI.  
IN  
COLAM  
EBRÆOS.  
ἀνάλυσιν Capitis V.  
emiam UUitebergensi,  
tij gratia proposita  
SIDE  
BALDUI NO D.  
co, Ecclesiæ P. & S.  
NDENTE  
LIPPIO AR-  
si Alfato.  
m s. Junij.  
S  
BERGÆ,  
er Joan. Gorman.  
DC. VIII.